

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A 1567.

PARS TERTIA.

247

I rofecto vir bonus & pius, ante triduum ad me literas dedit, ac denuò conquestus est, in suis facultatibus non esse, ut suis sumptibus pueri studia diutius ea ratione, qua hæctenus, foveat: rogavitque me, ut hac etiam vice pro puero apud R. tuam intercederem. Quare libuit mihi, freto tuæ R. benevolentia & autoritate, qua præest Ecclesiæ & Scholæ Argentinensi, primam meam commendationem renovare. Peto igitur obnixè, ut R. tua puerum illum in meam gratiam (siquidem dignus & idoneus fuerit) promovere dignetur, ut beneficio Wihelmitici collegii frui possit, ne deserere studia sua nunc demum cogatur. Dabo operam, ut tam pro hoc, quam pro prioribus in me collatis officiis tuæ R. gratum meum animum quacunquè oblata occasione declarem. Nec dubito, quin id beneficium in puerum probum & diligentem rectè collocetur. Filius DEI, cujus Majestatem tua R. contra ipsius hostes magno studio asserit, eam Ecclesiæ suæ quam diutissime incolumem conservet. Rogo autem, ut R. tua Clarissimos, doctrina, virtute & integritate præstantes viros, D. Flinnerum, D. M. Melchiorum Speccerum, & D. Valentinum Erythræum, nec non reliquos Argentinensis Ecclesiæ ministros ex me resalutare non graveur. Datæ Studgardia, 26. Julii, Anno salutis reparatæ, 1567.

Tuæ R. deditus

Lucas Oslander, D.

CXXVI.

SALUTEM IN CHRISTO JESU. Binas tuas literas, Reverende & Carissime Vir, Domine & frater charissime, easque amoris & benevolentia plenas, accepi. una cum libro, quem per studiosum Carniolanum ad me misisti. Curavi autem statim, ut D. D. Nicolao Varnbulero suum exemplar daretur, qui forte & ipse est rescripturus. Ego certe & nostro omnium, inprimis autem Ecclesiæ DEI nomine, Tibi & Collegis tuis, Dominis & fratribus meis charissimis, quas possum, & ago & habeo maximas gratias, quod non recu-saveritis, molestum istum laborem, in pervestigandis & examinandis S. S. Patrum Testimoniis, suscipere & devorare, quibus illorum consensus cum nostra doctrina confirmatur. Quæ cum ad illam primam libri partem accesserint, non dubito, utramque Ecclesiæ DEI maximum fructum allaturam. Nescio, quid vobis ominandum aut expectandum sit. Videtur totus mundus Zvinglian^{us}. Et subinde aperiunt sese corda hæctenus tecta. Conatus Calvinistarum in inferiori Germania si successisset, non minus malum nobis metuendum fuisset, ab his, quam ab ipsis Papistis. Crudelitate enim illis non videntur inferiores, quando vires acquisiverunt. Fecimus nos, quod

quod potuimus, & pro virili nostra adhuc facimus. Sed sensim ingratum numerum non paucorum. Tu vero ad hoc præmium laboris tui honestissimi & fidelissimi jam pridem cor tuum confirmasti. Ruat cælum, contremiscent terra, manebit tamen veritas inconcussa & dogma Cinglianorum falsum & impium. Errantia est illorum improbitas, ut, quod credunt, fateri non audeant, usque adeo suæ causæ non fidunt, quando ad examen severius controversiæ perventum est. Perge igitur, qua cæpisti, eruditione, pietate & fide in asserenda sancta doctrina, charissime frater, cum Presbyterio tuo sanctissimo, cujus nos decet esse tenaces, utcumque in mundo erudiamus pertinaces. Sic hæc sive pertinacia sive tenacitas, fides certè est, quæ in dispensatione Mysteriorum DEI requiritur. Sed satis mirari non possum, quid tibi velit Caroli Marchionis legatio ad Senatam vestram, (Nam de Landgravio minus miror) de Elestore similiter. Metuo sane, ne quid monstri alatur. Habet Marchio Doctorem Rupertum Dürr & quendam Reissenzanum, metuo, ne ambo sint Cingliani in corde. Fortassis paulatim sese insinuant animis eorum, qui aliquid valent apud Marchionem, Ipse vero Marchio, (ut arbiteror) totus ab hoc dogmate abhorret. Meus Princeps ab hoc dogmate non minus alienus, quam à Papæo. Dominus Ecclesiæ suæ misereatur, & ei concedat nutrices fideles, cui hoc tempore id maxime est opus. Si nemini gratum præstitisses officium hac tua docta, eruditâ, pia & fideli scriptione, quam meo Principi solum, non pœnitere te hujus laboris debet. Sed (ut spero) restant adhuc sua septem millia. quæ sua genua neque coram vitulo in Bethel, hoc est, Papatu, neque coram Vacca in Dan, hoc est, Helvetia, ubi semper amplissimæ Vaccæ, curvaverunt. Nos in officio pergamus, & fidem Filio DEI & Ecclesiæ probemus. Suâ gratiâ ipse aderit ministerio nostro. Constantiam autem Dominorum tuorum inprimis commendo, qui nulla ratione habita potentia, gratia, & vicinitatis Principum, tam constanter non modo responderunt, verum etiam libri tui patrociniū susceperunt. Extant multa officia vestræ Reipublicæ in Ecclesiam DEI, cum in propagatione veræ Doctrinæ, tum in lotionem pedum sanctorum, hospitalitate, & beneficiis erga exules Christi, inter quos tamen multi fuerunt valde ingrati, præsertim qui pedes maxime sordidatos ad vos attulerunt, und wohl wâschens bedürft haben. Dominus rependat illis gratiam, juxta illud, qui me honorat, vicissim eum honorabo. Quibus omnibus quæso per occasionem, inprimis Domino à Müllheim, D. Carolo Mily, &c. officiosissimam salutem dicas.

Quod nuper apud vos non transivi, præter meam voluntatem factum est. Certò enim statueram vos salutare in isto itinere, sed per somnium admonitus sum, ut per aliam viam redirem domum, Nescio qui fiat, quod alii plus no-

cent

cent papatui, mihi tam infensum sit hoc genus hominum ut mihi propemodum nullum, quantumvis breve, iter sit satis tutum. Cujus me nuper diligentissime monuit D. D. Varnbülerus, qui Ratispona reversus, quæ insidiæ mihi paratæ essent, significavit, qui etiam iter Hagenoam dissuaserat, quod tamen ingressus sum, sic meo Principe volente & suadente. Hæc si non est sufficiens excusatio, aliam non possum asserere, & spero eam & tibi & Collegio tuo satisfacturam. Dominum testor, nihil esse fictum aut simulatum. Quamvis splendor officiorum me etiam deterrere debeat, quo nuper me officiis, humanitate, convivio propemodum oppressistis. Majora sunt certe vestra erga me benevolentia argumenta, quam ego illis respondere valeam. Sed ad hoc unice spectetis, fidem & expectationem vestram non fallam & ero vobis fidus amicus, per gratiam DEI omnibus diebus vitæ meæ, & ea officia vobis de me polliceamini, quæ possunt ab amicissimo proficisci. Reliqua in adventum tuum rejicio, Habes enim epistolam bene longam, sed raptim ut vides scriptam, ut opus sit literas colligere. Ejus ero ego interpres. Omnino enim spero, quod me sis ad tempus constitutum hic inventurus, cum multis bonis viris, qui tui nominis & honoris sunt studiosissimi. Bene & feliciter cum tua honestissima vale, quam & mea vicissim diligenter salutari jussit suo nomine. Tu universo Collegio vestro meo quoque nomine dicas salutem amicissimam. Similiter quoque D. D. Gremppio & aliis Dominis, quibus nomen meum non est ingratum. Intellego principes nostros vigilare ad rumorem sparsum de opprimendis Evangelicis. Quod si quid tentaverint, urgentur fato & judicium sibi accersunt, impietate & crudelitate sua meritum. De his & aliis coram. Iterum vale. Elslingæ, 27. Julii, 1567.

Tuus ex animo & Collegii Tui totus.

Jacobus Andreae.

CXXVII.

Salutem in Christo Jesu.

ET si paucis abhinc diebus ad te scripsi, Reverende & charissime frater, has tamen prioribus addere visum fuit literas, ut intelligas, mecum contulisse collegam tuum, qui refert, quam inclementer nos à Victorino tractemur. Hanc mihi rependit gratiam pro liberatione, quam ego illi impetravi, qui fortassis nondum evasisset. Qua voluntate sit in te, audies. Neminem quidquam sapere existimat, præter se solum. Dominus arrogantiam hominis punier horribiliter. Ex alio omnes